

ORAT10
DE PEREGRINATI-
ON E STVDII MEDICINA
lis ergò suscepta, deq; sum-
ma vtilitate eius Medicinæ partis, quæ
medicamentorum simplicium
facultates explicat,

AVTORE

LAVRENTIO GRYLLO
Medicinae Doctore & Professore.

ANNO 1566.



ORAT10
DE PEREGRINATI-
ON E STVDII MEDICINA
lis ergò suscepta, deq; sum-
ma vtilitate eius Medicinæ partis, quæ
medicamentorum simplicium
facultates explicat,

AVTORE

LAVRENTIO GRYLLO
Medicinae Doctore & Professore.

ANNO 1566.



CANDIDO LECTORI S.

Poste aquam Doctori Gryllo publicum profitendi munus in Academia Ingolstadiensi iam demandatū eset, accidit, ut paulò antè, quām id ipsum aggrederetur, peregrē proficiscēs sinistro casu alterutrum femur confringeret. Tandem verò post grauissima, quæ hinc sensit, incommoda, major ex parte restitutus, etiam si propter recentem, necdum vndequaq; obfirmatam ossis fracti consolidationem lecto diutius decumbere cogeretur; tamen ne communi studiosorum vtilitatī deeset, nulla ferme valetudinis habita ratione, lectionem sibi iunctam auspicatus est, & pro recepta Gymnasij consuetudine, loco solennis, vt vocant, principij, orationē hanc in Musæo priuatim, multis tamen doctis viris & studiosis adolescentibus isthic congregatis, è lectulo recitauit, Anno 1556.
die 10. Ianua: Cuius rei te, candide lector, vt exordium orationis facilius intelligeres, breuiter admonendum esse putau. Benè vale.



2.
ORATIO L. GRYLLI

MEDICI, QVAM IN SOLENNI PROFESSIONIS PVBLICAE principio recitauit Ingolstadij.



On existimo quenquam vestrum esse, auditores optimi, qui aut splendidam & laboratam Orationem in hoc rerum mearum statu à me requirat: aut nouam initiandi rationem, & inusitatum hunc locum admiretur. Grauissimus enim hic fortunæ casus, quo superioribus diebus cypressus & propemodum extinctus fui, non solum corpus mihi ita afflixit, vt vix manibus hominum gestari, nedum ad vestros conuentus prodire possim, sed etiam animum adeò conturbavit, vt nec de propria quidem salute quicquam ferè statuere, tantum abest, vt in literis & ornata oratione excogitanda aliquid præstare valeam. Est enim animus noster tanto consensu cum corpore iunctus & connexus, vt, corpore paulò vehementius confligante, fieri non possit, quin & mens de statu suo non nihil deiiciatur. Si ergo neq; orationem doctissimis vestris auribus dignam habuero: neq; in eo loco, qui amplissimo huic confessui dicatus est, dixero, spero omnino vos mihi veniam daturos.

Cùm enim Princeps noster illustrissimus in vestrum ordinem me cooptarit, & ad docendam medicinam in nobilem hanc Scholam euocarit, operæprecium esse putaui, vt primo quoq; tempore me vobis indicarem, vestramq; benevolentiam & amicitiam aucuparer: meq; ipsum & res meas omnes vobis commendarem, vt qui in acerba hac mea calamitate, opera, consilio,

Albertus Dux
Bavariae.

a ij gratia

L. GRYLLI

Jacobus Scheckius.

Leonhardus Fuchsius.

gratia & voluntate vestra magis haberem opus, quam si res expectarem paulo secundiores, quare hoc negotium nequaquam pustui differendum. Non autem arbitror de laudibus Medicinæ hoc tempore apud vos mihi quicquam esse dicendum, cum non dubitem hoc argumentum à doctis hominibus ante me in hac Schola non raro eruditè & pro dignitate tractatum esse. De rebus ergo priuatis, & ad institutum præsens pertinentib[us] dicam: ac in primis quidem de consilijs, laborum, peregrinationum & studiorum meorum rationibus, quas in addiscenda Medicina hactenus fui secutus: Deinde vero de præstantia eitis doctrinæ, quæ materiæ medicæ & simplicitum medicamentorum noticiam tradit. Hæc enim pars mihi publicè explicanda assignata est. Cum igitur post annos pueritiae meæ, in Schola Viennensi & hac Ingolstadiana in Græcis & Latinis literis qualescumq[ue] progressus fecissem, & per adolescentiam postea etiam liberaliores disciplinas nonnihil degustasssem, tandem ad grauiora Philosophiæ studia me contuli, vsus Præceptore Jacobo Scheckio in Schola Tubingensi insigni Philosophero. Eo tempore de vita genere certo constituendo & à me & à parentibus cognatisq[ue] meis sedulo fuit deliberatum. Et cum propter tenuitatem corpusculi mei & crebram aduersam valetudinem, & alias causas omnibus consultum videretur, ut ad perpetuum vitæ institutum medicinæ professionem deligerem, paulo post cum sapientiæ studio medicinam coniungere cœpi. Et prima huius artis fundamenta ieci sub Leonhardo Fuchsio, viro in Tironibus instituendis diligentissimo, & editis varijs monumentis vbiq[ue] gentium claro. Quo præceptore biennio sum usus, & eo docente aliquot partes Medicinæ primum mihi familiares feci, præci-
pue vero in re herbaria non parum ab eo fui adiutus. Posthac Ingolstadium sedij, & clarissimos huius Scholæ Medicos non

minori

ORATIO.

3.

minorum cum fructu circiter biennium audiui, Iohannem scilicet Veltmüllerum, nostri Collegij Decanum dignissimum, arte, *Iohannes vel* doctrina, & vsu rerum medicarum præstantissimum: deinde & *tmillerus.* doctissimum Iohannem Ammonium Agricolam, qui ingenio & *Iohannes A-* industria atq[ue] lucubrationibus suis & artem nostram iuuit ornat *gricola Am-* monius, & famam apud doctos sibi peperit immortalem.

Interea temporis Iohannes Jacobus Fuggerus vir affluentia *Iohannus Iaco-* opum quidem felix, sed virtute, ingenio, & prudentia longe fe-*bis Fuggerus.* licissimus, & certè nunquam satis laudatus, prudentissimo con- filio cogitare cœpit de uno atq[ue] altero mediciñæ studio, in Ita- lia & alibi instituendo, ut quæ in Germania ad medicinam abso lute perdiscendam viderentur deesse, ea apud cæteros conse querentur: nempe certam notitiam & *avto. filia* medicamentorum peregrinorum & plantarum, quæ sub nostro cœlo non nascuntur: Deinde etiam de difficultibus et dubijs huius scientiæ locis & di spitationibus aliorum extra Germaniam insignium medicorum iudicia, sententias & cogitationes acres & ingeniosas audirent: Postremò vero vsuum rerum & experientiæ, quam *w. d. w.* vocant, sibi compararent, & quod in Germania detegatur à Præcepto-ribus suis ad ægrotantes varios quasi manū ducerentur, & non ex libris tantum, sed ex inspectione & re præsenti, quæ ad egros curandos pertinerent, addiscerent, & continuo vsu obseruarent, ut si hac ratione aliquis præter cæteros eximiè profecisset, is nō solùm ipsi, à quo beneficiū accepisset, sed etiam reipublicæ sua arte & industria prodesset. Hoc consilio vir nobilissimus & pru dentissimus de Medicis peregrinè alendis cogitauit. Inter quos et me sibi à Nicolao Eberardo Iureconsulto clarissimo indicatu asciuit, & vltro maximis beneficijs prouocauit, & per totam Ita liam, per omnem Galliam, per Britanniam & vniuersam Ger maniam integro ferè septennio peregrinantem sumptu non

a iii vulgari

Nicolaus E-
berhardtus.

L. GRYLLI

vulgari sustentauit: Ita ut ad præclaram eruditionem, & magna
rum rerum cognitionem comparandam nihil mihi, præter vo-
luntatem meam, deesse posset. Quantum verò in hac studiorum
commoditate profecerim, aliorum esto iudicium. Malo enim
vos ex re ipsa aliquando huius rei fidem, quām ex mea prædica-
tione cognoscere. Ut tamen hoc solū vobis persuadeatis, nec
ociosas meas profectiones, nec à studio artis nostræ alienas, sed
cum ingenti huius professionis utilitate coniunctas fuisse, dum
totius, huius peregrinationis consilia & rationes vobis singula-
tim exposuero, me, quæso, patienter audite. Spero hanc narra-
tionem vobis nec tædiosam nec iniucundam fore. Iam igitur
octauus agitur annus, quo primum ductu & auspicijs eius-
dem Magnifici Fuggeri, in Italiam ingeniorum & bonarum
disciplinarum parentem, iter suscepī. In qua profectione, quem
admodum & in cæteris omnibus, vt officij & instituti mei me-
mor essem, diligenter operam dedi. Quicquid enim per alpes
nobilium, & præcipuarum plantarum occurrebat, obseruauī,
collegi, examinaui. Cùm autem felici itinere peruenisse Venetias, illic & tum, & alias postea sèpè Aromata, & in vniuersum
omnia peregrina medicamenta ex oriente allata, qua poturi diligen-
tia, contemplatus sum, & quæ in suo genere optima probatissimaq; & quæ adulterata & vitiata essent, didici & annotauī:
Idq; & in tanta copia rerum & Emporio frequentissimo facile
sum cōsecutus. Deinde & Medicos eius vrbis præcipuos (quod
vbiq; facere consueui) salutaui, & eum ijsdem de difficilioribus
& controversis quibusdam nostræ scientiæ locis familiariter
disserui ac disputaui. His ita peractis Patauium accessi, vbi vi-
ginti duabus mensibus non sine ingenti, nisi fallor, studiorum
& professionis meæ utilitate & incremento commoratus sum.
Quo tempore Medicinā adhuc docuit Iohannes Baptista Mon-

tanus

Iohannes Ba-
ptista Monta-
nus.

ORATIO.

4.

tanus Veronensis, qui nostra ætate tantum in Medicina nomen
est consecutus, vt non modò omnes ferè huius æui medicos (ab
sit inuidia dicto) ipsumq; Manardum & Leonicenum Præces
ptores suos longè superarunt: sed etiam cum quoquis antiquorum
Medicorum meritò sit conferendus. Eum ferè biennium non
solū publicè docentem audiui, sed etiam priuatim liberè de rea-
bus dubijs & mihi ignotis consului & interrogauī, & per vrbē
ad ægrotantes passim studiosè sum comitatus: qui & in Theos-
rica, vt vocant, & in arte exercenda plurima & non pœnitenda fi-
deliter mihi communicauit. In eadem schola præter Montanū
audiui clarissimum Bassianum Landum, qui hoc tempore Mon-
tano succedit, non inferior illo futurus. Præter hos exercita-
tissimum Medicum Aloysium Bellacatum in praxi, vt loquun-
tur, aliquot mensibus per vrbem sum fecutus. Cum Antonio
autem Francazano quotidie stata hora in Xenodochio Pataui-
no, crebris, varijs & propè infinitis curationum exemplis inter-
fui: Publicas autem & priuatas cadauerum sectiones summa di-
ligentia & assiduitate non raro spectauī. Rei deniq; Herbariæ
cognoscendæ commoditatem, quæ Patauij summa est, nequa-
quam neglexi. Extruxit enim augustissimus Venetorum Se-
natus intra mœnia Patauina hortum amplissimum & planè Ve-
netorum opibus & magnificentia dignum: In quo plantantur
omnis generis herbæ, frutices, & arbores peregrinæ & vulgo i-
gnoræ, quæ ex cunctis orbis terrarum partibus inquisitione &
sumptu Venetorum conqueruntur. Hunc hortum non minori
cum voluptate, quām utilitate studiose frequentavi, plantarum
genera, formas, imagines & varietatem obseruauī, didici & me-
morię commendauī, earumq; exempla viua decerpta reposui.
Præter hæc subinde ad vicinas Thermas Aponenses accessi, vt
earum originem, fontes & vires mirabiles diligentius obserua-
rem cognosceremq; Venetias interim sèpe accessi & eadem,
quæ paulò ante dixi, sedulo egī.

a iiiij Cūm

Bassianus
Landus.

Aloysius Bel-
larius.

Antonius

Francazanus.

Hortus Pata-
uinus.

L. GRYLLI

Cum verò tandem consultum & ex re mea esse videretur, ut reliquias etiam Italæ partes perlustrarem, Venetijs soluens per sinum Adriatici maris & Padum fluum Ferrariam veni, ibiꝝ meo more Medicos conueni, & precipuè clarissimum Antonium Musam Brasavolum de re medica præclarè meritum,

*Antonius Mu
sa Brasavolum.*

quem aliquot diebus publicè docentem audiui, & humanum ad modum & beneuolum erga me inueni. Inde post dies aliquot Bononiā perrexi, vbi Benedictum Fauentinum senem reue-

*Benedictus Fa
uentinus.*

rērendūm conueni, qui ultra sexaginta annos artem medicam exeruit, & maximam dexteritatem ac rerum usum sibi comparauit, ac in extrema iam sua senectute aliquot monumenta inge-

*Helidæus Me
dicus.*

nij sui posteris reliquit. Ibidem & Helideum Medicum, vt præstantem, ita occupatissimum, allocutus sum. Postea Florentiam

Hetruriæ Vrbem planè magnificam & elegantem accessi, vbi Xenodochio ægrotorum inuisendo & Medicis & Pharmacopoli-

*Bartholomæus
Boninsignius.*

conueniendis multos dies consumpsi. Inde verò decedens Senas me contuli, vbi & iter illud institutum absolui: In quo iti-

nere per Apenninos montes & editiora Hetruriæ loca, eximiæ & efficaces plantæ multæ & variæ se conspiciendas & obseruan-

das in natalibus suis locis obtulerunt, quæ apud nos nec sponte proueniunt, nec plantatæ suas formas & vires seruant. In vr-

be Senarum mensibus quinq; vixi, Bartholomæo Boninsignio, ac Iulio Verio Medicis peritissimis familiariter vtens, non so-

lum ut Præceptoribus, sed etiam tanquam amicis, quorum alter per vrbem ad ægrotantes suos me circumduxit, alter in Pandœ-

chœo ægrotantium, quod hospitale vocant, accurate & fideli-

ter me exercuit, ac mihi ferè semper quinos aut septenos com-

misit mea opera curandos: ad cæteros verò omnes, quorum ipse

curam habuit, nihilominus me perduxit, ac methodum indica-

uit. Præterea subinde ad Thermas inuisendas egressus sum,

quarum

ORATIO.

5.

quarum in agro Senensi supra XV. scaturigines hinc inde ha-
bentur: Ita vt in ea vrbe non parum in artis nostræ exercitio me-
fenserim profecisse. Mitigato igitur aliquantulum ardore æ-

stiuo, mense Octobri Romam profectus sum: vbi pro consuetu-

dine mea cuin præcipuis Medicis familiariter contraxi, præci-
puè cum Gysberto Belga Medico præstantissimo, cuius opera

*Gysbertus
Belga.*

& consilio aliquot iam Pontifices Romani ex ordine fuerunt
vsi. Præter hæc Nosocomion frequetaui, officinas pharmacopo-

larum crebro accesi, eorumq; pharmaca & compositiones, ac
Medicorum rescripta perspexi & consideraui. Quin & vrbis si-

tum animaduerti, quem Galenus vt insalubrem & grauioris aë-
ris causam damnat. Obseruaui etiam febres semitertianas, He-

mitritæ vocatas, quas Galenus suo etiam tempore Romæ fre-
quenter fuisse scriptum reliquit. Et in vniuersum præter am-

plitudinem & maiestatem vrbis, præter augusta vetustatis mo-

numenta, præter frequentiam & varietatem hominum: & de-
niq; præter turbam ac splendorē Sacerdotum, & ipsius Pon-

tificis Maximi conspectum, nō pauca, quæ ad rerum cognitio-
nem & nostræ scientiæ noticiam pertinent, adeptus sum. Post-

quam Romæ facetas me cepit, cogitaui Neapolin, atq; per La-

tium & Campaniam iter faciens, eas ipsas plantas Italicas, qui-

bus Galenus ipse olim Romæ degens usus est, & Græcis plantis
non multo inferiores esse scripsit, diligenter perquisiui & con-

sideraui. Neapolí autem cum Pharmacopolis & Medicis ali-

quandiu conuersatus sum. Pharmacopolia cum primis ornata
& benè instructa, eaq; quam plurim sunt, quæ non tantum

ipsi vrbī inseruiunt, sed propter peritiam & artificium singula-

re condiendi radices, semina, herbas, fructusq;, suas merces per

omnes ferè Provincias exportant: quæ ratio condiendi etiam a-

bilia e

liqua ex parte mihi fuit ostensa. Et certè Optimatibus, qui ta-

L. GRYLLI

Ia emere solent, delectum aliquem præscribere possem. Postea Puteolis vidi Sulphuris viui, quod in multis officinis desideratur, integros montes, quos olim Phlægræos appellantur. Vidi & varias Thermarū mixturas propè Baias, et in sinu Baiano pro pè Lacum Auernum vapores è terra prodeentes: qui vim Thermarum propemodum superant. Membra enim resoluta caueris terræ immissa mirificè confirmant. Iucundum etiam mihi fuit locum Tabiarum contemplari, ad quem Galenus solebat mittere eos qui Romæ virtus pulmonis contabescabant. Nascentur etiam circa Neapolin nobilia quedam genera vinorum, quorum sàpè Galenus meminit, quale in primis est Falernum, Vesuvinum, Surrentinum, & alia quædam: quorum naturam, gustum & colorem, quātum fieri potuit, retinui, vt scirem quid Galenus sibi vellet dum ijsdem vinis, aut si desint his similibus aliquando nos vti iubet. His ita confectis ex Campania in Hetruriam reuersus sum, & Pisas me contuli: vbi IX. mensibus in singulis medicinæ partibus Præceptores optimi non mihi defuerunt. Inter quos Iohannes Argenterius aliquot mensibus in suis ædibus me familiarem habuit, vir summo ingenio præditus, & acer veritatis investigator. Cuncta enim sua non autorum sententijs temerè congestis, sed rationibus ex rei natura sumptis demonstrat. Deinde Vidus Vidius Florentinus, Regius olim Luteciae Professor, & Chirurgiæ Hippocraticæ instaurator, non parum studia mea iuuit. Ita & Simon Portius Philosophus Ne apolitanus, & Gabriel Fallopius rei Anatomica peritissimus, ac tandem Lucas Ghinus, qui in re herbaria & vniuersa materia simplicium Medicorum per Italianam non habet secundum: Horum nemo non & præceptoris, & amici in me officio functus est, quare non possum non honorificè apud vos ipsorum meminisse. Sed cùm iam aliqua ex parte, quod in Italia quærebam, vi-

derer

Johannes Ar genterius.

vidus Vidius.

Simon Portius.

Gabriel Fal lopius.

Lucas Ghinus.

ORATIO.

6.

derer asscutus esse, certo consilio in Galliam inde mihi fuit a beundum. In primis quidem vt et eius regionis doctissimos homines audirem, & eorum consuetudine qualemcunq; studijs meis accessionem facerem: Deinde cùm in Italia & Italis ægrotantibus ad Italicam quandam rationem curandi assuefissem, & si recta in Germaniam redijsssem, ea res in Germanis corporibus fortè fraudi mihi fuisset futura, consultum omnino visum est, vt Galliæ medicos adirem, & illorum in Gallicis corporibus curandi rationem obseruarem. Sunt enim Galli moribus, educatione, aëris temperie & viuendi ratione Germanis similimi: unde & ijdem ferè morbi nascentur, & eadem curandi ratio adhibetur. Postremò & plantas peculiares fert hæc regio, quæ magni sunt in medicina momenti: vt Stœchadem, Thymum, Epithymum, Rorem marinum, & Spicam quam Nardi vocant. Sol uens igitur Pisis cum Iohanne Argenterio & literatis quibusdam hominibus per mare Hetruscum & Ligusticum Genuam nauigauit. Vbi cum eadem, quæ in cæteris vrbibus, cum Medicis & Pharmacopolis egissem, iterum consensa naue aliquot dierum spatio per mare Mediterraneum Massiliam perueni, & inde superatis Ostijs Rhodani ad fossas Marianas appuli, & in Montem Pessulanum concessi. Vbi tum primum non statim firmavi sedem, sed paucis tantum diebus conqueui, & Prouinciam, ac Lugdunensem Galliam terra peragrare coepi: partim vt medicos per ea loca celebres adirem: partim vt herbas, quarū ea Galliæ pars feracissima est, peruestigarem, eas præsertim quas noster Dionisius sàpè nominatim in Gallia Narbonensi & montibus Massiliensisibus nasci tradit. Ex monte igitur Pessulano per Auinionem, nobilem Prouinciæ vrbem Massiliam denuo accessi: vbi cùm aliquot diebus piscium marinorum mirabilem varietatem spectassem, & cætera cognitu digna perquisi-

b ii siue

L. G R Y L L I

suissem, ultra progressus ad oram maritimam, Massilienses motes itinere vnius diei consendi, & in quedam loca incidi optimis herbis adeo clara & nobilia, ut Incole & Monachi, qui ad delubrum D. Magdalena habitabat, certe affirmarent, ex Mauritania, & ipsa Græcia, homines petitum herbas eo usq; venire. Collectis igitur & obseruatis herbis, ex ijs locis per oppidum D. Maximini ad aquas Sextias, & inde Arelatum veni, quæ Franciscus vrbis habet doctissimum Franciscum Valleriolam, cuius scripta de re medica non pauca & erudita extant, cum eo varia de nostra arte non sine utilitate mea contulit. Deinde per Valentiam & Viennam, vrbes Allobrogum, iter Lugdunum institui, vbi duobus mensibus magno cum fructu permansi. Vidi cum varijs Medicis curationes diuersas & difficiles. Vidi & in eo totius Galliae Emporio mercium medicarum copiam & dilectionem. Lugduno vero secundo Rhodano rursus versus Prouinciam descendit, & reuersus sum in Montem Pessulanum: vbi sex ferè mensibus nihil, quod ad studia mea ornanda & iuuanda faceret, desiderauit. Est enim integræ ea Schola soli medicinæ studio exertioq; dicata. Præcipui Medici sunt Squironius, Saepporta, Honoratus, & Guilielmus Rondeletius: in cuius ædibus familiariter tanquam hospes, amicus, & discipulus vixi. Is eo tempore summo studio industriaq; in vniuersa Aquatilium historia absoluenda perficiendaq; erat occupatus: quos libros absolutissimos & immortalitate dignos iam in lucem dedit. Sunt in ea Schola optima nostræ artis exercitia. Frequentes de controversis locis disputationes: summa rei herbariæ commoditas: Anatomicæ administrationes crebræ, Pisces & marina animalia cognoscendi oportunitas: Praxis frequens tam Chirurgiæ quam reliquæ medicinæ: Pharmacopolia ita instituta, ut ad ea neq; Magistri neq; famuli admittantur, qui non latina suæ artis ratio-

*Franciscus
Valleriola.*

*Medicimoniis
Pessulanii.*

O R A T I O .

7.

stationem reddere possint. Nihil deest, nihil viciatū Medicis obtruditur, compositiones summa fide & arte miscentur inspectantibus Medicis ipsis vna cum studiosis. Et has quidem in Pessulanio monte habui studiorum occasiones. Tranfacta verò hyeme, quæ ijs in locis ferè nulla est, profectionem per nobiliores & præcipuas totius propemodum Galliæ Prouincias & vrbes institui. Et primum quidem ac summum eius itineris consilium, sicut omnium mearum peregrinationum, fuit, vt ea quæ ad artem nostram vel ornandam, vel augendam & perficiendam pertinerent, studiosè quærerem & consecutarer. Primùm ergo veni Carcasonem, hinc Narbonam, quæ Narbonensis Galliæ caput est, & hoc tempore validissimum aduersus Hispanos propugnaculum: vbi ad radices Pyrenæi montis multa & diversa herbarum genera inueni. Inde Tolosam progressus sum, quæ vrbis per se quidem populosas Senatu tamen regio & publica Schola amplissima redditur. Vbi Simon Thomas, & Pacuvius, Medici excellentissimi, suo in me officio non defuerunt. *Simon Thomas.
Pacuvius.* Sunt & plures Medici illic, quos vidi & salutai. Atq; ita per Aquitaniam prosecutus sum iter susceptum. Agendico in Iulium Cæsarem Scaligerum incidi, Philosophum & Medicum præstantem, ex quo cognoui, quæ non parum mihi profuerunt. *Iulius Cæsar
Scaliger.* Is Auicennæ libros præcipuos ex Pœnorum lingua in purum & tersum latinum sermonem conuertit. Agendico Burdigalam veni, quæ vrbis splendida & Ausonij Poëtæ patria est, & etiam hodie Gymnasio & Senatu regio decorata; vbi, quod querebam, facile sum consecutus. Et illinc ad Promontorium Santonum deflexi, vbi copiam Absinthij Santonicij, quod teste Dioscoride ab ea Prouincia nomen accepit, in natali solo libenter vidi. E Santonibus per Pictauorum Prouinciam iter mihi fuit, quorum vrbis, Pictauium, Academia & studijs clara est. *b iij In-*

L. GR YLLI

Inde semper officij mei memor per ciuitatem Turonum & Aureliam, vrbes splendidissimas, transiens, tandem Lutetiam Parisiorum perueni, quæ vrbium totius Europæ omnium maxima & amplissima iudicatur. In ea XV. mensibus continua magno
meo commmodo versatus sum. Audiu Iacobum Sylvium Medicum, annis, autoritate, doctrina & experientia præstantissimum. Amicum & beneolum habui Iohanneum Fernelium Medicinæ & Philosophiae solidè eruditum, ut exquisitissima eius scripta testatur. Cum Iacobo etiam Gupylo familiaris consuetudo mihi fuit, qui vir in veterum scriptis, quæ partim interciderunt, partim mendosa extant, restituendis & instaurandis multum operæ & laboris ponit. Jacobus etiam Hollerius Medicus magni nominis, & ceteri grægarij Medici non ignoti mihi fuerunt. Cum ipsis enim semper habui quod agerem. Incidunt in tanta hominum multitudine varia & inaudita morborum exempla, & variæ curationes, quarum multis interfui medicorum in me benevolentia fretus. Vidi & Chirurgica exempla rara & admiranda, & morbi Gallici, qui in ea vrbe quasi tyrannide quædam omnia occupauit, curationes diuersas, partim Empirorum, partim Medicorum, partim eorum Chirurgorum qui literis eruditi sunt, inter quos Nicolaus Lambertus mihi persimilis, valde excellit. Quin & à pestilentialibus febribus ea vrbs nunquam est immunis, contra quarum seuitiam multorum iudicia & efficacia remedia mihi fuerunt communicata. Incidimus cadauera quoq; multorum, qui dubijs morbis interierant, ut latenter mali causam deprehenderemus, & oculis conspicere mus. Ipse etiam in perpetuo artis exercitio versatus sum, multisq; meam operam præstavi, & in medicina facienda occupator, quædam desideravi, semperfui. Cùm enim Germanis innotuisse, existimauerunt illi quidem Germanum Medicum Germano

Iacobus Syl
vius.

Johannes Fer
nelius.

Jacobus Gupy
llo.

Jacobus Holle
rius.

ORATIO.

8.

mano laboranti tutius & rectius consulere posse, quam Gallum Germano. Vnde sœpe inuitum & alias occupatum ad ægros suos me pertraxerunt. Hoc etiam cum primis mihi profuit, quod habui hospitem Pharmacopolam valde peritum. In cuius officina omnium simplicium medicamentorum tam aridorum quam viridium, nostrarium & peregrinorum, delectum obseruavi, & notitiam ante partam confirmaui: præparationibus & mixturis ac compositionibus interfui. Omnes Schædas quas Medici pro varijs morbis in nostram officinam scripserunt consideravi, quam rem sentio mihi vehementer profuisse. Et quibus morbis accommodarentur partim ex ipsis medicamentis scriptis, partim ex famulis, qui medicamenta ad ægros deferebant, cognouis per eosdem famulos etiam de statu ægri, & quomodo medicamenta contulissent, certior fui factus. Non desunt in ea vrbe, qui artificiosis & Chymicis destillationibus generosa & efficacia quædam remedia parant, qui precibus & precio inducti mihi illud artificium ostenderunt, et in ea re, quantum per occupationes licuit, me exercuerunt. At cùm iam satis diu Lutetia esse commoratus, & certas ob causas in Galliam Belgicam mihi esset transeundum, atq; itinera per Ambianates & Hæduos à militibus essent obsessa & occlusa, coactus fui per ambages eo venire. Decedens autem Lutetia secundo flumine per Normandiam versus Oceanum Britannicum descendì, & primum Rotomagum fui delatus, vbi rerum mearum causa aliquot dies consumpsi, & postea Diepam accessi, vbi munitissimus Oceani portus est: ex quo cùm nauim commodam nauctus essem, in Britanniam traieci, sed meus aduentus in turbulentissima eius Regni tempora incidit. Pridie enim eius diei, quo appuleram, mors Edoardi Regis innocentissimi publicata est, & Angliam pro imperio decertabant, ac omnia tumultibus bellicis miscebant,

b iiiij bant,

L. GR YLLI

sciebant, quæ res multis diebus Londini me detinuit. Cum verò compresa seditione rursus tutum esset nauigare, navi Belgicae Oceani angustias commodis ventis transiui, ubi in continentis Caletium tutissimum Anglorum propugnaculum situm est. Ibidem ad marginem Oceani diuersas plantas, & aliquot mihi antea nunquam visas, conspexi: Ex eo loco per Neoportam Bruggas & Gandavum Belgicas, vrbes illustres & elegantes iter faciens, Antuerpiam perueni: quæ inter Europæ Emporia cuncta facile principatum obtinet. Ibi duos menses ea potissimum de causa hæsi, ut quæ Lusitanorum nauigatione ex India, Callecucio, & Sinarum vsq; regione adseruntur talia viderem, qualia Antuerpiam perueniunt, præcipue scilicet merces medicas recens exoneratas. In tanta enim copia delectus facile intelligitur, quid nimirum in suo genere optimum, quid deterrium, quid integrum, quid viciatum, quid recens, quid inueteratum sit: Quæ cognitio postea ad iudicanda & diligenda medicamenta perperò prodest. Sunt enim scelerati homines, qui aromata & alia medicamenta statim ex ipsa navi exempta adulterant, fucant, & corruptunt. Quædam enim liquoribus conspergunt, quædam omnino macerant, quædam in humidiori loco reponunt, vt plus ponderis contrahant, quædam certis coloribus tingunt, quædam aliarum rerum admixtione augent. Tale quiddam experuntur Zingiberis, Caryophyllorū, Piperis omnia genera, Crocus, omnes ferè liquores et lachrymæ, & ipsum Saccharum, quæ vitia ideò à paucis deprehenduntur, quod hæc integra & syncera pauci viderint. Plerique enim hoc tempore in herbis tantum perquirendis occupantur, & in ea re tanquam iusta & obvia studium & operam consumunt, interim aromatica, peregrinos liquores, lachrymas, & succos, atque terrarum ac metallorum varia discrimina, tanquam ad rem medicam non

pertinen-

ORATIO.

9.

pertinentia negligunt & ignorant. Sed cum harum rerum cognitio domi comparari non possit, sed varias & longinquas peregrinationes requirat, hi, quorum res non ferunt, vt peregrinentur, venia quidem digni sunt: qui verò in viuersum hanc diligentiam tanquam superuacaneam & curiosam vituperant, neq; ab ijs qui peregrè hæc viderunt doceri cupiunt, acerbius sunt reprehendendi. Ego certè natus qualemq; peregrinandi commoditatem hæc omnia summa diligentia, studio, laboribus, molestijs, periculis, & vel rerum mearum ac valetudinis dispendio, persequenda esse duxi. Ut igitur plantæ virides in natalibus suis locis facile se obtulerint, ita peregrinam & aridam materiam non nisi in frequentibus Emporijs potui indagare. Agri enim, Prata, Sylvae, Lacus, Montes & valles mihi plantas virides suppeditarūt. Venetiæ autem, Neapolis, Genua, Lugdunum & Antuerpia, Pharmacopolia bene instructa, materia aridam & peregrina medicamenta exhibuerunt.

Cum verò materia metallica omnium obscurissima adhuc mihi decesset, cuius cognoscendæ per ea loca, quæ eo vsq; peragraueram, nulla mihi fuerat facultas, existimauit omnino, ad absoluendum simplicium medicamentorum circulum, præcipuas quoq; per Germaniam metallorum fodinas esse adeundas. Elapsa tamen peregrinandi occasione apud Belgas mihi hybernandum erat. Transagi ergo maiorem hyemis partem Louanij apud Hieremiam Brachelium Medicum ingeniosum & non vulgariter eruditum, vt ostendunt etiam libri paſſim ab eo in- vulgati. Deinde ad Aulam Cæſaris Bruxellas me contuli, vt quæ illic esset ratio medendi experirer, & cum duobus mensibus Pharmacopæorum, Chirurgorumq; vrbis & Cæſarianorum Medicorū, præfertim Cornelii & Andreæ Vesalij confutidine vsus fuisse, ineunte iam vere rursus ad iter me accinxii,

Hieremias
Brachelius.

Cornelius &
Andreas Ves-
salius.

c Primum

L. GRYLLI.

Primum ergo per Traiectum superius ad Eburones ascendi, & Leodij Lymburgum Medicum clarum salutauis, & fossiles carbones mirabiles, & bitumen acidum istic primùm non sine admiratione vidi. Exinde Aquisgranum acceſsi, vbi ſaluberrimi calidarum fontes ſunt, & ab antiquissimis hominibus celebati. Ibidem effoditur Cadmia natua, qua æs aureo colore tingitur, & in Orichalcum commutatur, plusquam trécentis in ea vrbe officinis: In quo opere veram Pompholygem copioſe & pulchrè euolantem, & Cadmiam Capnitin in faucibus fornacum harentem, Ophthalmica remedia apud veteres prætantissima, & hoc tempore plerisq; ignota, obſeruaui & collegi. His ita animaduersis Duram iter faciens Coloniam properauit, quæ meo iudicio Vrbium Germaniæ moeniorum ambitu omnium amplissima est; vbi ſalutandis Medicis & inspiciendis Pharmacopœorum officinis aliquot dies consumpti. Et cum in Saxoniam rei metallicæ cauſa cogitarem, & ruſore bellico per Cattos atq; Vestualiam itinera omnia militibus infesta eſſent, per ambages quidem longas, non tamē ſine fructu, iter institui. Cōmisi enim me Rheno, & per Nouisium, Vvesaliā, Emericum, perq; Menapios, ſecundo flumine ad Batauos vſq; descendi: vbi ſinister Rheni alueus, & Mosa fluuius coniunguntur, & ingentibus oſtis ſimul in Oceanum effunduntur. Perlustrati ergo præcipuas & ornatiſſimas Batauorum vrbes, Dodracum, Roterodamum, Delphtam, Hagiū, Laidanū, Arleum & Amsterodamum: memor interim perpetuò officij mei in perquendis ijs, quæ ad artem noſtram ſpectabant. Amsterodami autem concendi nauim, & per mare Cymbricum versus Saxoniam nauigauit, & ingressus oſtia Albis Hamburgū appuli. Hamburgo Lubecum profectus ſum, quæ nitida admodum & polita vrbs eſt. Lubeco adij Luneburgum; vbi mirabiles aquæ ſalſæ fontes ſunt.

ORATIO.

10.

Sunt: Vnde per Luneburgica deferta Cellas, indeq; Brunsuigum, quæ Princeps, & vetus, & clara Saxonum vrbs eſt. Brunsuigo Goslariam peruenit: vbi veteres & insignes fodinæ ſunt; *Fodinae Goslae riens*. quas Henricus Auceps Cæſar Germanus excitauit: olim æs co- piouſum reddiderunt, hoc tempore plumbum nigrum & atra- mentum futorum largiſſime fundunt. Has fodinas vidit Alber- tus magnus Philosophus Germanus, qui memoriae prodidit illic eſſe montem qui totus nihil ſit aliud quam & Galena, hoc eſt, Plumbi nigri vena, qui mons certè in hodiernum adhuc diem conſpicitur, & haec tenus non paucos eius vrbis ciues locupletes fecit. Cæterum haec fodinæ debent omnibus Medicis eſſe com- mendatiſſimæ. In ijs enim naſcuntur remedia quædam prætan- tiſſima, & apud Græcos olim in ſummo precio habita, adeo ut horum gratia Galenus ipſe in Cyprum vſq; nauigauit. Ea vero ſunt Chalcanthi varia genera, Chalcitis, Sory, Mify, Melante- ria, quæ, excepto Chalcantho, omnia multis ſæculis fuerunt deſiderata: nunc tamen in lucem reuočata & reſtituta meis auditori- bus, Deo adiuuante, demōſtrabo: & ſi viſum fuerit in ipsas me- dicorum officinas cum alijs non paucis, quæ negligentia noſtra perierant, quaſi poſtliminio reducam. Cæterum autem ad Goſlariam ſaltus protenditur ab Incolis Herciniæ nomen etiā ho- die retinens: vbi multa nobilia & rara herbarum genera vidi. Ex ijs locis poſtea Magdeburgum, & inde Vvitebergam acceſſi, vt quæ iſthic noua docendi ratio nuper emerſiſſet animaduerterem. Poſthæc æraria metalla Mansfeldina & Eyslebianæ perueſtigauit. Et Halæ ſcaturigines ſalis & bituminis ſubterra- nei genus, ſupra quod ipsa vrbs fundata eſt, cum admiratione conſiderauit. Cumq; Lipsiam veniſsem, inita cum aliquot doctis hominibus amicitia, Torgam deflexi, vbi Christopherus Leuſchnerus Medicus in Italia mihi familiaris, vna cum Pharma- copola pari studio & diligentia Hortum omni genere herba- *Leuſchnerus* cij rum

L. G R Y L L I

rum instructissimum colunt, & in medicamentis metallicis conquirendis multum operæ ponunt, qua in re, & multa mihi comunicarunt, & studium meum non parum iuuerunt, Misenæ, à qua vrbe prouincia illa nomen accepit, vidi & allocutus sum Iohannem Kentman eius Reipublicæ Medicum, eundem etiam in Italia mihi familiarem, & Georgium Fabricium doctissimum virum, qui præter alia de Romanis antiquitatibus librum euulgauit: Qui ambo in re metallica multa accuratissimè obseruata mihi ostenderunt. Supra Misenam Dresda est vrbs splendida & Principibus grata: vbi Nœvium primarium Augusti Principis Medicum conueni. Inde Fribergum me contuli, & in antiqua, & in celebri vrbe metallica multa didici, obseruaui & collegi, quæ ad rei Metallicæ & Materiæ medicæ cognitionem ornandam & augendam plurimum valent; quæ omnia partim ex ipsis fodinis eruuntur, partim, dum excoquuntur metalla in fornaciis & officinis conflantur. Circa Bohemicos montes, quos Ptolemæus Sudetas videtur appellas, varia deinceps loca metallica peragraui, scilicet Mariæbergum, Annebergum, Vvolkenstainum, Irberesdorpium, Gayrum, Snepergum, in quibus omnibus, ne singula persequar, summo studio, labore diligenterq; inuestigavi, & in meum thesaurum contuli ea, quæ ad materiam simplicium medicamentorum visa sunt pertinere: Veni ergo tandem ad doctissimum & clarissimum Georgium Agricola Consulem & Medicum Chemnicensem, ad quem supra ducenta varia metallorum discrimina attuli, eumq; de multis in re metallica (de qua absolutissimos libros conscripsit) difficultas tibus consului, multa cum eo disserui. Is pro suo candore, doctrina, & humanitate, in singulis egregiè satisfecit. Septem integros dies mihi dedit: metalla quæ attuleram mecum examinavit: quæ ipse multis annis & laboribus colligerat omnia ostendit, &

Iohan: Kent-
man.

Georgius Fa-
bricius.

Nœvium.

Georgius A-
gricola.

O R A T I O.

ii.

dit, & quæ deerant mihi liberaliter de suis communicauit. His ita peractis, salutato Agricola Iañum Cornarium, qui Zuicauia degit, accessi, insignem Græcorum scriptorum interpretem & Medicum clarum, cum quo de re medica multa disceptauit. Is interpretationes quasdam & lucubrationes suas, necdum publicatas, & summis laboribus ac vigilijs comparatas, mihi ostendit. Non procul ab ea vrbe mons est, qui perpetuo incendio (non aliter atq; temporibus Traiani Vesuuus in Campania) flagrat, & sulphureum quiddam, quod in medicina vsui est, eructat. Ex eo loco per Snepergum in Ioachimicam vallem descendit: vbi mensē vnum commoratus sum & cætera quæ in rebus metallicis mihi deerant adieci & collegi. Vidi etiam in Elbognano, ad fines Bohemiæ, Thermas olim à Carolo Quarato Cæsare nobilitatas & à Principis nomine Carolinas apellatas. Neq; verò alias vidi vsquam fontem adeò largum & frequentem ex eadē scaturigine simul & tanto impetu erumpere, ut in XII. canales diuisus ad duodecim Thabernas fatis lauidis hominibus aquæ ministret. Ex ea aqua lapides concrescunt siccandiis ulceribus mirè efficaces. Ibidem verlus Egram Oppidum acidi fontes sunt ad certa morborum genera saluberrimi. Cum igitur per ea loca præterea non esset quod cum utilitate obseruarem, per Egram & Norinbergam, cum septimus iam ageretur annus, tandem Augustam sum reuersus: vbi cum vix paucis diebus interquievissim, ad Alpina metalla inspicienda & perlustranda mihi fuit abeundum: In qua profectione supra Oenipontem vidilargam bituminis venam, quod in usum loco Iudarci substitui potest. Vidi Halæ ad Oenum fluuium integrōs & solidos montes ex sale nativo & terra falsa compactos, in quibus aqua salsuginem contrahit, & per aquæ ductus extra montem ad urbem deriuata cortinis capacissimis in salem excoquitur.

Ianus Corne-
ris.

Therme Ca-
rolinae.

c. iii tur

L. GR YLLI

tur, cuius in Oceani & Maris Mediterranei litoribus condensandi ex marina aqua longè aliam rationem animaduerti. Hæc genera salis vsu & viribus multum differre deprehendi, sicut & fossilis ab vtroq; differt, quæ discrimina rei præsertim ad quotidianum viatum necessariae, medico non sunt ignoranda. Sed redeo ad profectionem hanc postremam absoluendam.

In metallis Svvazianis reperi multa, quæ in Saxoniciis fodi-
nis non nascuntur. Svvazio ad Ratemburgicas fodinas descen-
di, indeq; ad Kyczpilenses, & tandem ad Raurianas vñq;, sub
Tairo monte sitas, penetraui : vbi aurum & argētum effoditur.
Superaui deinceps Taurum montem, in quo optimæ plantæ
proueniunt, & in vallem Gasteniam descendì ad Thermas, quas
eodem nomine Gastenias appellat, quarum aquæ nitidæ, puræ,
& foedi odoris, quo naturales aquæ raro carent, expertes, præ-
sentissimum plurimis morbis auxilium adferunt. Eram ex eo
loco in Hystriam progressurus, sed hyemē in Alpibus inuale-
scente, coactus sum per Salisburgum Augustam redire : In qua
ciuitate partim in Nosocomio Fuggeriano, partim per urbem
quindecim mensibus medicinam feci, simulq; ipsis Fuggeris ge-
nerosis & magnificis Pátronis meis fideliter, vt debui & quan-
tum in me fuit, inferui: qui cùm pro innata liberalitate & be-
neficiencia sua me tandem in maturiori iam etate constitutu ad e-
arctè & paucis hominibus obstrictum esse nollent, sed ad altio-
ra cuperent prouehere, & si quid eximij consecutus fuisset à
meis Præceptoribus, quorum optimos quosq; in hac arte habu-
issem, id non ad suam tantum, sed plurimorum adeoq; Reipublis-
cæ vtilitatem conuertendum putarent, autores mihi fuerunt, vt
consensu illustrissimi nostri Principis in hac schola Medicinam
docerem, vt nimirum res illas vtiles, præclaras, eximias, & nō
cuius obuias, quas per varias peregrinationes meas adeptus fu-
issem,

ORATIO.

12.

issem, non mihi soli putarem esse comparatas, sed doctis etiam &
studiosis hominibus communicarem, quibus peregrinandi fa-
cultas denegata esset. Quod equidem pro mea virili libenter
& studiosè sum facturus, idq; cupio vt auditores de me sibi cer-
tò persuadeant & polliceantur. Iam de ratione studiorum meo-
rum & profectionibus meis satis videor dixisse, non certè eo
consilio, vt ambitiosè meas peregrinationes apud vos tractarem
aut nimium quiddam de me pollicerer: sed in primis quidem, vt
consilia & euentus studiorum meorum indicarem : Deinde vt
vobis persuaderem, solidam vniuersæ medicinæ cognitionem
non solum ex libris & priuatis cogitationibus, sed etiam multo
rum excellentium virorum conuersatione, peregrinationibus
varijs, & rerum omnium & Topia & crebra inspectione compa-
rari: præterea, vt, si quis fortè rei medicæ studiosus hoc meum
peregrinandi institutum in hac quidem vicinitate (nec enim
Græciam, nec Indianam adire licuit) imitari velit, haberet me præ-
eunte viam & rationem, qua vtiles sibi redderet suas peregrina-
tiones: Postremò cùm simplicium medicamentorum hoc tem-
pore doctrina & cognitio publicè mihi sit tradenda, volui eos,
qui futuri essent auditores mei, cognoscere, quid per peregrina-
tiones meas hac in parte profecissem, vt intelligerent summis
his peregrinationum difficultatibus & molestijs, me sibi pe-
perisse ea, quæ etiam domi in tranquillo ocio degentibus commu-
nicare possum, & se hac ratione alieni laboris, hoc est, meæ in-
dustriæ fructum percepturos, & sine periculo in rerum vtilium
cognitione peritiores futuros.

Nunc igitur, si de medicamentorum simplicium doctrina *altera huius orationis pars*
& cognitione (Hæc enim altera institutæ orationis pars est) pauca quædam adhuc protulero, dicendi finem faciam. Horum

c. iiiij ergo

L. GR YLLI

ergo notitiam & obseruationem omnibus mortalibus esse laudabilem, vtilem, & iucundam, in medicis verò etiam necessariam, nemo, vt opinor, negabit. Si quis enim ex infima plebe aliquot stirpes & alia remedia norit, apud cæteros eo nomine & laudem consequitur, & cunctis acceptior fit magisq; commendatus.

Cognitio simplicium omnibus utilis.

Theologis ad quid conferat. Deum Opificem rerum per hæc pulcherrima opera contemplentur venerenturq;, & pietate quadam egenis ægrotantib; interdum succurrant. Audio enim olim Sacerdotes Medicinam vñà cum religione professos fuisse, quam consuetudinem imitati sunt hoc tempore duo Monachi, quos Romæ vidi rei medicamentariæ peritissimos, qui conscripta in Mesuen commensaria non contemnenda ediderunt. Philosophis porrò hanc etiam materiam esse dignam, ex eo perspicuum est, quod maximis quiq; Philosophi eam attigerint, & cum laude tractarint. Nam vt præterea Thalem Milesium, Anaxagoram, Empedoclem, Anaximenem, Praxagoram, quos omnes sapientiæ studium cum Medicina coniunxisse constat. Zeno Philosophus Capparim, Pythagoras Bulbos, Chrysippus Brassicam nobilitauit.

Aristoteles. Ipse verò Aristoteles dum de primis & secundis qualitatibus, de differentijs mixtionum & saporum discrimine disputat, quid aliud agit quam quod huius negocij, id est simplicium cognitio, fundamenta ponat? Deinde verò & ipsam rem herbariam iusto volume (quamuis an eo autore scriptum sit multi dubitant) persecutus est, & rei metallicæ doctrinam post se reliquit. Theophrastus Aristotelis autem successor Theophrastus diuini ingenij & facundæ

Theophrastus

ORATIO.

13.

cundiæ suæ vim & præstantiam in hac materia tractanda potissimum posteris testata reliquit. Nullum enim eius viri absolu-
tius monumentum extat ijs librīs, quos de stirpium natura conscripsit; qui cùm excellenti ingenio & doctrina esset, sibi tamen gloriosum esse putauit si in hac materia cum laude versaretur. Cur enim Philosophi & sapientiæ studiosi omnesq; homines literati-hanc sententiam non amplectantur, cùm omnium ferè rerum cognitionem hoc studium comprehendat, & sine variarum rerum cognitione, (quæ omnibus hominibus laudabilis est & honesta) nemo Philosophus dici mereatur. Medicamentorum enim scientia nihil à rerum cognitione abest, quia nihil ferè usquam est, à quo non remedium petatur. Nam medicamentorum appellatione, non tantum herbas, frutices, arbores, radices, cortices, ligna, liquores, lachrymas, succos, gumæ, resinas, stipites, folia, flores, semina, fructusq; compræhendimus: sed etiam varia terrarum, lapidum, gemmarum & metallorum genera, atq; omnes animantes, quadrupedes, bipedes, reptiles, volantes, natantes, earumq; partes, ossa, neruos, medullas, carnes, pinguedines, membranas, viscera, intestina, pelles, pilos, plumas, recrementa, vngues, fel, sanguinem, lac, & alia eiusmodi: quorum omnium cognitio amplissima est, & usq; adeò latè se diffundit, vt vniuersa, quæ ex primis rerum elementis constant, complectatur. Hac amplitudine rei adductus Alexander Macedonum multa auri talenta Aristoteles ad peruestigandas animantium naturas & differentias contulit, non certè solùm ob curiosam & inanem cognitionem, sed etiam propter mortalium utilitatem & commodum, vt scilicet ex cognitis iam animantibus partim quæ ad hominum valetudinem conseruandam, partim ad morbos depellendos facerent, pertenerentur. Prudenti hoc fecit Aristotelis consilio, qui & patre d medico Alexander magnus.

medico fuit natus, & reliquam suam doctrinam vniuersam ad hominum utilitatem semper visus est referre. Quin & Romanū Principes remediorum peritos per varias regiones magno sumptu alebant, vt simplicium medicamentorum cognitione, delectus & usus comparatus, & ipsis tum usui esset & simul ad posteritatem perueniret. Fuerint & præterea maximi Reges, qui hanc cognitionem sibi laudi duxerunt, adeo ut quidam propria sua nomina herbis, quarum species æterna est, imposuerint, vt hac ratione immortalitati sua nomina consecrarent, & simul perpetuae posteritati eas herbas commendarent. Quis enim etiam hoc tempore non laudet Iubam Euphorbium quondam Mauritanæ Regem, ob Euphorbium herbam & inuentam & de se appellatam? Et quis Euphorbium nominet vel cogitatione concipiatur, qui non simul optimum Regem memoria complectatur? Quis præterea non gratias habeat Gentio Illyricorum Regi pro Gentiana præstantissima herba inuenta? Taceo Mithridatem potentissimum Ponti & Bythiniae regem, qui non solum Mithridatiam herbam, quam Scordium vocamus, ex se appellauit, sed in vniuersa simplicium medicamentorum materia peritissimus fuit, & ex ijs commixtis antidota quædam composuit, quæ magno mortalium commodo in hodiernum usq; diem usurpantur. Fuit etiam Arthemisia herba à Cariæ Regina Mau soli Regis vxore eiusdem nominis dicta. Nec deniq; puduit Lysimachum Macedoniæ Regem, Lysimachia nomen dare. Et ne putemus nostra ætate exempla deesse, non tædet Ferdinandum prudentissimum & optimum Regem, curiosè sectari cognitionem & naturam herbarum, fruticum, arborum, & præcipue cerealium frugum, quarum peritissimus est, & de ijs cum Medicis, Agricolis, & alijs rerum studiosis crebro differere solet. Hunc imitatur Cosmus Medices laudatissimus Hetruvianus Princeps,

Ferdinandus
Imperator.

Princeps, qui in Pisano & Florentino suo horto, quorum veteris varietate plantarum instructissimus est, paucas habet stirpes, quarum ipse & nomen & vires aliqua ex parte non norit. Ipsa etiam antiquitas huius rei præstantiam auget. Nullis enim seculis homines defuerunt, quibus hoc studium non aliquantulum fuerit curæ. In primis quidem medicamenta Dei Immortalis munus esse certum est. Ideo & Græci Apollinem Deum Medicinæ inuentorem esse credunt. Is enim primus antiquissimis temporibus usum herbarum ad rationem medendi accommodauit. Hunc secutus Aesculapius filius, qui in herbarum notitia adeo excelluit, vt Androgeam ab Atheniensibus imperfectum viribus herbarum vita restituerit. Inde Chiron Centaurus, à quo Centaurium herba nomen habet, in ea cognitione claruit, qui omnes ante excidium Troiæ vixerunt. Quin & antiquissimi Græcorum Poëtæ herbas memorant. Musæus enim Polium celebravit. Hesiodus Maluam & Asphodelum extollit. Homerus Aegyptum à copia medicamentorum commendat, & idem de Nepenthe, Loto, & Moly mentionem habet.

Cum ergo res herbaria & medicamentorum notitia omni generi hominum omnibus ferè saeculis fuerit curæ, ornamento, & utilitati, & hodierno etiam tempore esse dicitur, quanta ignorantia dignus censeri debet medicus huius rei imperitus? Cum præsertim post hominum genus non paucæ etiam animantes medicinas sibi utiles cognoscant, & ijs vbi res postulat utantur. Cerui enim annuum tedium primo vere deuoratis serpentibus purgant. Capriæ sylvestres infixas sagittas dictamno ejiciunt. Hirundines occæcatis pullis Chelidonio usum restituunt; Canes male habentes gramine sibi medentur, & vulnera studiose lambendo sanant. Mustela cum serpentibus dimicatura ruitam gustat ac ore gerit: Ita aliæ animantes alijs atque alijs mede-

studium rei
herbaria an-
tiquis cōment
datum.

Bruta simpli-
cibus medica-
mentis dele-
ctantur.

d ij lisà

L. G R Y L L I

*Iucunditas hu-
iis studij.* lis à natura edocet utuntur. Cùm verò & ipsa rerum admira-
ratio non careat iucunda quadam voluptate, multæ sunt in me-
dicina Pharmacorum facultates admirabiles, abstrusæ & diu-
næ: quæ cognoscentibus cum admiratione simul magnam pa-
riunt delectationem. Quis enim non cum admiratione delecte-
tur, si videat certa remedia, vel manu retenta, vel appensa, vel
tantum etiam in conspectum adducta, protinus effluentem san-
guinem cohære? Quædam intra paucas horas tela è profun-
do corpore euocare? Alia capiti admota inexpugnabilem som-
num prouocare, & contrà, alia perpetuo hominem vigilem de-
tinere? Alia collo appensa impetum comitialis morbi statim cō-
pescere, alia verò alijs atq; alijs facultatibus mirandis præstare,
in quibus diuinum quiddam subesse necesum est. Horum no-
ticia & iucunda est, & animum quietum reddit, si his quasi præ-
fidijs cognitis ad singula morborum genera quis instructus est.
Prætero iucunditatem, quæ ex stirpium, herbarum, fruticum,
& florum ornatu, varietate, pulchritudine, & gratissimo aspe-
ctu percipitur, sine quibus nulla amænitas, nullæ illecebræ, nul-
la exquisita voluptas hominibus parari potest. Quod testantur
Tempe Thessalica, Horti Alcynoi, Musarum lustra, & in flori-
bus colligendis ac sertis nectendis delicia. Quid dicam de in-
genti huius cognitionis utilitate? Siue enim calidus incidat mor-
bus, siue frigidus, siue humidus, siue siccus: siue materia aliqua
copiosa corpus infester, siue totum corpus, siue aliqua eius pars
debilis sit & laboret, qui peritiam simplicium remediorum ha-
bet, tanquam ex promptuario quodam & copiæ cornu ad sin-
gula corporis vitia certa auxilia proferre potest, quæ calefac-
iant, refrigerent, humectent, siccent, materiam abundantem mi-
nuant, corruptam expurgent, crassam extenuent, tenacem incu-
dant, adhærentem abstergant, bilem reprimant, melancholiam
inuale-

O R A T I O.

15.

inualescentem cohibeant, pituitam molestam coērceant, dolo-
res mitigent, tumores discutiant, dura emollient, obstructa ape-
rian, impediat aluum subducant, menses suppressos moue-
ant, redundantes supprimant, difficiles partus expediant, stomas
chum infirmum roborent, desperitas vires restituant: & deniq;
quicquid laborat ei paratum remedium afferant, & multos bo-
nos viros superstites Reipublicæ conseruent. Ex eadem mate-
teria culina instruitur, omnis generis condimenta & grati sapo-
res miscentur, adeò vt omnis, quæ in cibo suauitas est, hinc con-
cilietur. Simplicibus certè Pharmacis eo etiam nomine ma-
xime studendum est, quòd in vsu medico ad morbos profligan-
dos plerumq; simplicia compositis efficaciora sint, quia integra
sunt, nulla mixtione impedita, & naturæ gratiora quā nausea-
bundæ & temerariæ quorundam compositiones minime neces-
sarie, sed ad ostentationem comparatae. Vnde videoas optimos
quosq; medicos quām simplicissimis remedij vti, idq; felici &
magnō successu: neq; enim natura ita oneratur & obruitur, &
æger precio & sumptu immōdico leuat, & plus consequitur
utilitatis: Medicus vero laudem & existimationem sibi concili-
at. Etiamsi verò res omnino postulet compositum medicamen-
tum, tamen ne id quidem temperari & misceri potest, nisi ab eo
qui absolutam habuerit simplicium cognitionem. Is enim vel
pauca, quorum vim & naturam exactè norit, componet, quæ vr-
genti malo longè facilius succurrent, quām numerosæ illæ com-
positiones, in quibus raro absit error & temeritas. Quis enim
in tanta remediorum confusione singulorum, quæ miscentur,
causas indicare potest? necesse igitur est cæcum, fortuitum, si-
ne scopo & viribus remedium esse. Hinc videmus eos, qui
crebro compositis, præsertim numerosis & temere congestis
vtuntur, & simplicium sunt imperiti, plerumq; consiliorum su-
*simplicia cō-
positis efficac-
iæ.*
*vsus compo-
sitorum pericu-
losus.*
d ij orum

L. G R Y L L I

orum in medendo rationem reddere non posse, sed Medicos fluctuantes, temerarios & fortunæ subiectos esse, & interdum, si feliciter succedat, tanquam cæcos scopum attingere. Si enim remedium, cuius vim ignorant, forte respondeat, id non ratione & consilio, sed fortuitò contingit. Quamobrem tutissimum est, vel ipsis simplicibus probè cognitis & vsu exploratis separatim & solis vti, vt certè, si res composita requirat, ea ex quā paucissimis efficacibus & notis deliberata ratione & certo consilio miscere. Neutrum verò horum præstabit, qui in simpliū remediiorum noticia non accurate fuerit exercitatus. Quorum certè cognitio adeò necessaria est, vt si ea desit iam & Medicis officium & ægrorum curatio cessaet. Neq; enim omnia malitia virtus rationi cedunt. Qui ergo rei medicamentariae ignarus est, huic consultum est, vt Medicum non se profiteatur. Cùm enim morbis medeamur auxilio medicamentorum, is certè qui ignota sunt medicamenta, vt destituitur facultate & instrumento medendi, ita medici appellatione prorsus est indignus. Artifices enim decet, vt suæ quisq; artis materiam noscat & habeat perspectam. Ut enim pictor, qui coloribus caret, pingere & suo officio fungi nequit: Ita Medicus non habet, quo ægrum iuuet, si medicamenta desint. Et vicissim, vt impudenter faceret, qui pictorem se venditaret, si nec de coloribus ratiocinari nec eos temperare & commiscere nosset: Ita Medicum quæ fronte se appellabit, qui medicamentorum neq; nomina tenuerit, neq; vires, neq; usum? Aut qui de viribus & vsu libros tantum legit, res verò ipsas nunquam oculis conspexit, sed tanquā Chymeras quasdam sibi imaginatur, nec legitimum usum calleat: quorum certè vereor ne plures sint, quam credi possit. Neq; vero doctos hac ratione laedo, sed imperitorum inscitiam damno. Noui ego Medicos magnæ apud plebem existimationis,

O R A T I O.

16.

tionis, qui Pharmaca nunquam sibi visa quotidie Pharmacopæis paranda præscribunt, & illorum ac Anicularum fidei committunt, stupiditatè & ignorantia pudenda, & publicis legibus punienda. Sunt enim quos vidi, qui ne semina quidem fœniculi, cumini, cari, & anethi, culinarijs ministris notissima dignoscerent. De aromatibus peregrinis, succis, gummi & fructibus taceo, quorum nomina decantata per omnes libros ipsis notissima sunt, rerum verò ipsarum delectum, nec intelligunt, nec curant, neq; per somnium quidem viderunt. Ne verò & nostri auditores hanc ignorantiam incurvant, ego quantum in me erit vna cum Præceptoribus & collegis meis peritissimis, diligenter cauebo, modò vt nos præceptorum, ita & ipsi, quod speramus, vicissim discipulorum officio studiosè fungantur.

* *

*